

concedit accidens esse univocum, respectu novem prædicamentorum, negat tamen esse genus. Analogam vero esse tenent e converso communissime illi, qui ens esse analogum respectu substantiæ et accidentis arbitrantur. Ita sentiunt nominatim Soncinas (1) et Cajetanus (2) alique, et cum ipsis Eximius Doctor (3).

In primis si accidens in tota sua latitudine sumatur, prout sub se comprehendit omnia novem genera, facile videtur probari analogia conceptus accidentis. Et ratio est, quia proprium accidentis prout a substantia distinguitur, est inhærentia in subjecto, vel afficere subjectum. Jam vero sunt quædam accidentia, quæ valde improprie inhærent subjecto illudque afficiunt. Enimvero quid commune est inter inhærentiam quantitatis vel qualitatis v. g. et habitum vel locum, qui solum extrinsece circumstant ac denominant subjectum? Quis dicat cum ea proprietate ac veritate vestem afficere hominem, quæ albedo afficit hominem album, vel scientia scientem? Item supposito quod actio non recipiatur in agente, sed in passo, quemadmodum inferius probandum erit, certe actio non afficit vel informat agens cum eadem proprietate, ac passio passum, in quo realiter recipitur. Itaque cum accidens communiter sumptum sub se comprehendat, tum ea, quæ proprie et interne insunt subjecto, tum etiam ea, quæ pure adjacent vel circumstant, itemque actiones quæ non insunt agenti, sed ab eo dumtaxat manant, nequit dici univocum respectu omnium istorum. Non est autem ita facile probare, quod respectu aliquorum accidentium, v. g. respectu quantitatis et qualitatis, non possit esse univocum. Qua de re videri potest Suarezius, cujus hæc est sententia, accidens respectu quorundam summorum generum esse quidem univocum (4), non tamen genericum (5).

et utrum sit  
immediata.

270. Tertio dubitari potest, utrum divisio accidentis in novem genera sit immediata. Et quoniam res non est tanti momenti, dici potest accidens absolute loquendo dividi

(1) *Metaph.*, lib. 4, quæst. 1 ad 1.<sup>um</sup>; lib. 12, quæst. 47 ad 1.<sup>um</sup>

(2) *Opusc. de Ent. et Essent.*, cap. 7, quæst. 15 ad 4.<sup>um</sup>

(3) *Disp. 39, Metaph.*, sect. 3.

(4) *Loc. cit.*, sect. 3, n. 15.

(5) *Ibid.*, n. 17, 18.

potuisse immediatius in pauciora et generaliora membra, quæ novem illa sub se complecterentur. Nam sunt inter varia illorum convenientiæ quædam ac discrepantiæ: multa enim conveniunt in hoc quod absoluta sunt, et discrepant a relativis; alia sunt immaterialia, et proinde differunt a materialibus; alia intrinsece afficiunt substantiam, alia extrinsece dumtaxat denominant. Et ita re vera faciunt auctores plures, cum rationem reddunt sufficientiæ divisionis in prædicta novem membra, ut vidimus; nam primum conantur illa ad pauca quædam capita inter se opposita redigere, donec tandem integrum numerum novem summorum generum colligant.

Nihilominus quatenus accidens proxime et adæquate dividi potest in membra, quæ non conveniant genericè inter se, sed sint primo diversa, divisio illa revera immediata est et omnium aptissima ad doctrinam tradendam, ut recte declarat Eximius Doctor (1).

### ARTICULUS III.

#### Utrum Aristotelica divisio entis in decem prædicamenta cæteris omnibus præferenda sit.

271. Antiquissimus fuit inter Philosophos mos, ut omnia genera entium intra certas quasdam classes cõcererent et apta serie collocarent pro doctrinæ scilicet ordine ac discipulorum utilitate. Has græci *Categorias*, latini *prædicamenta* dixere: de quibus nonnihil in *Logica* delibatum est, nunc pauca alia addenda sunt, et mox ad singulorum naturam penitus cognoscendam, speciales disputationes instituendæ. Potest enim tractatio prædicamentorum ad Logicum et Metaphysicum sub diverso respectu spectare. Nam prædicamenta et sunt conceptus universales, prædicabiles et arte dirigibiles, ut apte instituantur prædicationes, rerumque definitiones ac demonstrationes rite conficiantur, et eo ipso exprimunt res ipsas cum suis propriis ac realibus naturis. Quatenus ergo præ se ferunt objectivos mentis conceptus recte ordinabiles

Antiquissimus  
mos apud  
Philosophos  
distinguedi  
summa quædam  
rerum genera.

(1) *Loc. cit.*, sect. 3. Cfr. *ibid.*, sect. 1, n. 8, 10, 16.

ac dirigibiles per præcepta, spectat eorum tractatio ad Logicum; ad Metaphysicum autem, quatenus exprimentur realia objecta, quorum naturæ atque essentiæ accurate declarandæ sunt (1). Nunc autem primum aptissimam omnium divisionem prædicamentorum seligere oportet: id quod haud arduum negotii erit opus post hæc dicta.

Prædicamenta  
Pythagoricorum,

Primo ergo Pythagorici dicuntur posuisse viginti prima rerum genera et principia, quorum decem continentur sub coordinatione primi boni, ac totidem sub coordinatione primi mali. Sub primo bono, posuerunt *Lumen, Unum, Intellectum, Quietem, Rectum, Masculinum, Dextrum, Finitum, Par, Quadratum*; et sub primo malo *Tenebras, Multitudinem, Opinionem, Motum, Curvum, Femininum, Sinistrum, Infinitum, Impar, et Altera parte longius* (2). Quorum ratio exponitur a S. Thoma (3). Plato modo unum, modo plura tradidisse summa genera rerum dicitur (4). Platonici vero «suprema genera rerum ita distribuebant, inquit Roselli (5), ut primum genus esset substantia; secundum, accidens, quod in substantia; tertium, accidens, in quo substantia; quartum, motus; quintum, relatio. In secundo genere ponebant quantitatem, qualitatem, figuram; in quinto omnia relativa» (6). Stoici, ut auctor est Plotinus (7), quatuor dumtaxat genera invexerunt, substantiam, qualitatem, modum rei seu modum in se, et relationem seu modum ad aliud. Xenocrates duo apud Simplicium (8), substantiam et accidens: Epicurei decem hoc duplici versiculo comprehensa a Lucretio:

**Intervalla, Viæ, Connexus, Pondera, Plagæ,  
Concursus, Motus, Ordo, Positura, Figura** (9).

(1) Vide Suar. disp. 39 *Metaph.*, in proem.; Fonseca. *Metaph.*, lib. 5, cap. 7, quæst. 1, sect. 4.

(2) Vide S. Thom., lib. 3 *Physicor.*, lect. 3, fin; lib. 1.<sup>a</sup> *Metaphysicor.*, lect. 8; lib. 1.<sup>a</sup> *Ethicor.*, lect. 7, etc.

(3) *Metaphysicor.*, lib. 1, lect. 8.

(4) Vide Fonseca, *Metaph.*, lib. 5, cap. 7, quæst. 2, sect. 3.

(5) *Summ. Philos.*, tom. 1, quæst. 12, art. 1, n. 625.

(6) Vide Plotin. *Ennead.* 6, lib. 3, cap. 3.

(7) *Ennead.* 6, lib. 1, cap. 9.

(8) In lib. *Categoriar.* Aristot.

(9) Lucret., lib. 2.

Verum prævaluit in tota antiquitate, ac sola regnavit inter Scholasticos Aristotelica divisio entis in decem illa prædicamenta, quæ in Logica commemoravimus, *substantiam, quantitatem, qualitatem, actionem, passionem, quando, ubi, situm, et habitum*; donec iterum quidam novitatum amatores alias prædicamentorum series obtrudere cæperunt. Ex quibus alii septem numerarunt hisce versibus contenta.

**Mens, Mensura, Quies, Motus, Positura, Figura,  
Sunt cum Materia cunctarum exordia rerum** (1).

Ubi *Mens* spirituales, *Materia* corpoream substantiam denotat, *Mensura* vero quantitatem, *Quies* permanentiam in eodem loco, *Motus* transitum in alium locum, *Positura* internam partium contextum, *Figura* demum externam quantitatis terminationem significat. Aliis vero qui viderunt quietem esse meram privationem, universæ categoriæ sunt sex istæ: *Mens, Corpus, Motus, Nexus, Mensura, Figura*. Leibnizius ex decem Aristotelis prædicamentis, sex retinuit dumtaxat, *substantiam, quantitatem, qualitatem, actionem, passionem, relationem* (2). Cartesiani substantiam meminere, attributa vel proprietates et modos seu modificationes, sine quibus substantia potest existere, quæ tamen nequeunt esse extra substantiam (3).

Nec potuit infelicissimus ille chimærarum architectus, Emmanuel Kant, a novis conficiendis categoriis temperare. Primo itaque statuit omnia iudicia nostra, ex necessaria intelligentiæ nostræ lege, secundum quatuor modos exigi, videlicet *quantitatem, qualitatem, relationem, modalitatem*. Ex quorum modorum singulis ternæ existunt categoriæ, hoc ordine: ex quantitate *unitas, pluralitas, totalitas*; ex qualitate *realitas, negatio, limitatio*; ex relatione *substantia et, accidens, causa et effectus, actio mutua*; ex modalitate demum *possibilitas et impossibilitas, existentia et non existentia, necessitas et contingentia*.

At Stuart Mill postquam insigni levitate impudentiæ Aristotelicas categorias contempsit, has quatuor verum classes

(1) Vide Purchot, *Logic.*, 1.<sup>a</sup> part., cap. 5; Roselli., loc. cit.

(2) Apud cl. Pesch., *Institution. logical.* Pars II, vol. 2, n. 1446.

(3) Vide v. g. Antonium Le Grand. *Institutio Philosophiæ secundum principia D. Renati Des Cartes: De Logica*, art. 6.

Categoriæ  
Aristotelis,

aliorum  
recentiorum,

Kanti,

Joannis Stuart  
Mill

statuit: *affectiones* (sentiments) seu *status conscientia*; *spiritus qui hasce affectiones experiuntur*; *corpora vel objecta externa, quae nonnullas harum affectionum excitant, viresque seu proprietates quarum ope illa huiusmodi affectiones excitant*; ac demum *relationes successiois et coexistentiae, similitudinis ac dissimilitudinis inter has affectiones vel status conscientiae*. Cæterum monet idem scriptor affectionum quatuor esse genera, *sensationes, cogitationes, emotiones et volitiones*. Vires autem ac proprietates non admittit in corporibus, nisi ut morem gerat opinioni hominum communi. Relationes vero prædictas ait realiter non existere in rebus ipsis, sed in statibus conscientiae. Magna demum modestia notat hanc esse omnium optimam doctrinam hactenus hac de re inventam, ut locum occupet *abortivæ* illius summorum generum serie, quæ Aristotelicarum categoriarum nomen accepit (1).

et aliorum.

Denique ut cæteras omitteremus, qui videri possunt apud P. Tilmannum Pesch (2), Antonius Rosminius posuit categorias ontologicas, dialecticas et ideologicas. Ontologicas revocat ad tres formas entis, realitatem, idealitatem, moralitatem; dialecticas censet esse diversas relationes identitatis, quas subjectum habet cum prædicato, ac decem omnino distinguit. Ideologicas demum sitas esse docet in diversis relationibus, quæ inter categorias dialecticas secundum ambitum sive complexum intercedant, atque illas easdem esse, quas Logici post Porphyrium prædicabilia dixerunt (3).

Conditiones entis prædicamentalis;

272. Jam ut iudicium de his omnibus feramus sententiis, videndum est ante omnia, qualenam ens dicatur prædicamentale, seu quale sit ens illud, quod in prædicamenta dividatur, atque adeo sit principium categoriarum: ex quo patebit etiam quas condiciones habere debeant res, ut in prædicamento collocentur. Ab antiquis Scholasticis quatuor assignatæ sunt enti prædicamentali condiciones nempe ut sit

(1) *Système de Logique deductive et inductive... par John Stuart Mill... Deuxième édition traduit... par Louis Peisse*, chap. 3, paragr. 15, pag. 81-84, Paris, 1890.

(2) *Loc. nup. cit.*, n. 1445.

(3) Rosmini, *Logic.*, lib. 1, sect. 1, cap. 8, paragr. 9. Apud cl. Pesch., *ibid.*

ens finitum, ens per se, reale ac totum vel completum (1). In primis debet esse finitum, quia ut in Theologia probandum erit, natura et attributa divina extra omnia prædicamenta versantur. Ens ergo prædicamentale est finitum, id est, habens *essentiam finitam* ac limitatam in perfectione, quantumvis secundum alias condiciones, v. g. durationis etc., permittatur esse infinitum. Secundo debet esse ens per se unum, id est unam habens *essentiam totalem*. Ratio est, quia quod non habet unam *essentiam*, revera unum non sunt, sed multa, variaque genera et species habent, aut certe habere possunt: quare sub uno supremo genere constitui nequeunt. Unde excluduntur a prædicamentis entia una dumtaxat per aggregationem, qualis est, v. g. *acervus lapidum*: itemque termini complexi, ut v. g. *homo albus* et etiam concreta accidentalialia v. g. *albus, musicus*, si sumantur concretive pro complexu formæ et subjecti; quamvis si sumantur solum pro eo quod formaliter significant, nempe pro sola forma accidentis, possent absolute poni in proprio

prima,

secunda,

(1) Præter has condiciones ex parte rerum ipsarum desumptas, tres alias requirebant Scholastici ex parte vocum, per quas entia prædicamentalia significantur, nempe 1.<sup>a</sup> ut eligatur vox *una* in significando, seu vox objectum significans vel unum realiter, v. g. *Petrus*, vel unum formaliter, ut *homo*: unde relegantur voces equivoce et analogæ; ipsa vero analogæ singillatim pro sua natura in suis quæque prædicamentis collocari possunt; 2.<sup>a</sup> ut eligatur vox simplex: ideoque excluduntur termini complexi, qualis est v. g. *homo albus*; quamvis res ipsa *homo* spectat ad prædicamentum substantiæ, et *albus* ad qualitatem; 3.<sup>a</sup> ut vox sit *concinna*, seu apte significans, nempe in concreto vel abstracto pro natura rei significatæ: modus autem aptus censetur esse cum vox substantias quidem in concreto, accidentia vero in abstracto, significat; nam accidentia, cum in concreto exprimuntur, duo denotant, alterum formaliter, nempe ipsam formam accidentis, et alterum materialiter, nimirum ipsam rei substantiam. Illud etiam ad modum concinnum spectat in voce, ut non sit casus obliquus vel contra leges grammaticales efferatur. Septem istas entis prædicamentalis condiciones hisce versiculis veteres Philosophi concluderunt.

*Vox una et simplex, rebus concinna locandis:*

*Entia per sese, finita, realia tota.*

Vide Conimbricens., *de Prædicam.*, cap. 4, quæst. 2, art. 1 et 2; Lossada, *Logic.*, tract. 4, disp. unic. 2, n. 8; et alios veteres auctores passim.

tertia. prædicamento. Tertio, ens prædicamentale debet esse reale, nam entia rationis, utpote quæ nec sunt nec esse possunt, non habent essentiam nec entitatem, nec proinde genus et speciem.

Hic autem propter quosdam recentiores clarissimos scriptores quæri potest, utrum nomine entis realis intelligendum hoc loco sit ens præcise prout actu existens, an vero prout essentiam habens, nempe utrum ens prædicamentale sit ens, quod dicitur participaliter sumptum, an vero ens nominaliter sumptum. Nam eruditissimus vir Cajetanus Sanseverino (1), quem quidam ex clarioribus hodiernis scriptoribus sequitur, multis contendit ens, quod est principium categoriarum, esse *ens actuale*, non vero ens quod *quidditatem* vel essentiam rei significat, atque adeo *esse* quod exprimit ens prædicamentale, neque esse illud *esse* quod significat meram copulam et veritatem propositionis, neque illud aliud, quod vocat *essentiæ*, sed *esse actuale existentia* (2). Quam doctrinam præclarus scriptor a S. Thoma, Magno Alberto, Henrico Gandavensi cæterisque Scholasticis tradi asseverat.

Equidem fateor ignorantiam meam; verum hæc doctrina mihi nova accidit et hactenus inaudita. Et primo quidem facile mihi videtur contrarium ostendere ex Angelico Doctore. *Ens*, inquit, *quod dividitur per decem prædicamenta, significat ipsas naturas decem generum, secundum quod sunt actu vel potentia* (3). Alibi: *ens secundum quod importat rem, cui competit hujusmodi esse* (nempe actuale), *sic significat essentiam rei, et dividitur per decem genera* (4). Item: *Esse dicitur dupliciter: uno modo secundum quod ens significat essentiam rerum, prout dividitur per decem genera* (5). Alio in loco: *Ens dupliciter dicitur: uno modo secundum quod significat entitatem rei, prout dividitur per decem prædicamenta; et sic convertitur cum re. Et hoc modo nulla privatio*

(1) Sanseverino, *Philosophia Christiana*.... *Logic.*, pars 1.<sup>a</sup>, vol. 1 cap. 1, art. 8.

(2) Revoca in mentem triplicem hanc significationem verbi *esse*, quam superius ex S. Thoma exposuimus, n. 19.

(3) S. Thom., *Metaph.*, lib. 10, sect. 3, fin.

(4) *Quodlib.* 2, art. 3, vers. fin.

(5) 1.<sup>o</sup> dist. 19, quæst. 5, art. 1, ad 1.<sup>um</sup> 3.<sup>o</sup> dist. 6, quæst. 2, art. 2.

*est ens; unde nec malum. Alio modo etc.* (1). Similiter: *Ens multipliciter dicitur: uno modo dicitur ens, quod per decem genera dividitur; et sic ens significat aliquid in natura existens; sive sit substantia, ut homo; sive accidens, ut color. Alio modo dicitur ens, quod significat veritatem propositionis.... Ens autem secundum utrumque istorum modorum diversimode prædicatur: quia secundum primum modum acceptum, est prædicatum substantiale (i. e. essentielle), et pertinet ad quæstionem quid est; sed quantum ad secundum modum, est prædicatum accidentale, ut Commentator ibid. (In 5.<sup>o</sup> *Metaphys.* text. 14) dicit, et pertinet ad quæstionem an est* (2). En ergo ens secundum quod exprimit substantiam vel essentiam rei, et pertinet ad quæstionem *quid est*, ac proinde exprimit capacitatem existendi in rerum natura, ex mente S. Thomæ dividitur in decem prædicamenta. Ex quibus clarissimis testimoniis facile potest explicari aliud (3), quod prima fronte favere adversariis videri possit.

Præterea S. Doctoris sententia omnino videtur esse, quod esse existentia non diversificetur, nisi pro diversitate essentialium vel quidditatum, et propterea *esse* substantia exprimit substantiam, accidentis vero accidens (4): quam doctrinam cæteroque puto communissimam inter Philosophos. Atqui exinde videtur aperte sequi ens, quod in prædicamento ponitur, non esse præcise quatenus actuale *esse* habet, sed quatenus certa essentia vel quidditate ornatur.

Quod vero attinet ad communem sensum Scholasticorum, fateor me nullibi reperisse doctrinam adversariorum. Quin potius cum agunt de ente prædicamentali, omnes quidem communiter ad rationem ejus requirunt eam conditionem, ut nempe sit reale; nec tamen eo nomine excludunt a prædicamentis, nisi ens rationis (5). Atqui non solum ens secundum

aliorumque  
Scholasticorum,

(1) 1 p., quæst. 48, art. 2, ad 2.<sup>um</sup>

(2) 2.<sup>o</sup> dist. 34, quæst. 1, art. 1. Cfr. S. Thom., 3 p., quæst. 2, art. 3, ad 3.

(3) *Quodlib.* 9, art. 3.

(4) Lege S. Thom., *Metaph.*, lib. 5, lect. 9, paragr. c; *Quodlib.* 2, art. 3.

(5) Vide quo pacto exponat P. Fonseca, nemine reclamante conditionem istam: «Non est tamen *ens* hoc loco sumendum pro eo, quod

esse actualis existentia, verum etiam secundum esse essentiae realissimum est, atque enti rationis opponitur. Ergo Scholastici ad rationem entis prædicamentalis non censendi sunt esse existentiae requisivisse, vel in hujusmodi esse requisivisse principium prædicamentorum.

et ratione.

Deinde illud ens existimandi sunt divisisse Scholastici, quod adæquatum objectum Metaphysicæ constituit. Atqui adæquatum objectum Metaphysicæ ex communissima Scholasticorum sententia, est ens reale ut sic, quod non est solum ens præcise secundum esse existentiae, sed etiam secundum esse essentiae. Sane omnes Scholastici sic procedunt in colligenda divisione prædicamentorum, ut primo quidem ens dividant in substantiam et accidens, vel etiam ut prius ens dividant in finitum et infinitum, ac mox finitum in substantiam et accidens, accidens autem ulterius distribuunt in

*actu existit, sed pro eo, quod existere potest: ea enim, ex quibus constat prædicamentorum series, non includunt existentiam, quemadmodum neque eorum definitiones, quod et inductione patet et ab Aristotele traditur capite decimo libri secundi libri de Posteriori resolutione.* Et pro hac doctrina allegat Fonseca in margine Alexandrum (5.<sup>o</sup> *Metaph.* in text. 14) et Henricum Gandavensem (*Quodlib.* 1., quaest. 9).

Postea vero cum hæc sibi objecisset: «At dicit aliquis: Et si cætera non ponuntur in suis quæque prædicamentis, quatenus existunt, ipsam tamen existentiam in aliquo peculiari prædicamento ponendam esse; quemadmodum etsi substantia non ponitur in suo prædicamento, ut est *quanta* aut *qualis* aut *relata*, ipsam tamen *quantitatem* habere prædicamentum, eodemque modo *qualitatem* et *relationem*...»; respondit negando assertum et paritatem, ac tandem sic concludit: «His de causis B. Thomas (*Quodlib.* 2., art. 3; et 1.<sup>o</sup> *Sent.*, dist. 8, quaest. 4, art. 2), Scotus, et quotquot alii sunt alicujus nominis Scholastici, qui hæc minutius tractarint, plane asserunt existentiam rerum non habere per se locum in prædicamentis, sed revocari ad prædicamenta carum rerum, quarum sunt existentiae»: citatque pro hac opinione Capreolum (1. dist. 8, quaest. 1, art. 3 ad 3.<sup>am</sup> Gerardi), Cajetanum (*de Ente et essent.* cap. 5, quaest. 11 ad 8.<sup>am</sup>), Scotum (2.<sup>o</sup> dist. 3, quaest. 3), Lichettum (ibid.), Henricum de Gandavo (*Quodlib.* 1., quaest. 9), Durandum (1.<sup>o</sup> dist. 8, quaest. 2), et Alexand. Halensem *Metaph.* lib. 5, text. 14).

Et idem supponitur a Conimbricensibus (*Logic. De prædicam. Situs*, quaest. 2, art. 1, *Dices existentiam, et Physic.*, lib. 4, cap. 14, quaest. 2, art. 2, ubi scribitur (existentiam ex unanimi Philosophorum placito non habere locum in categoriis), Suarez (disp. *Metaph.* 50, sect. 12, n. 10) et Joanne a S. Thoma (*Logic.*, quaest. 19 art. 4).

novem summa genera vel prædicamenta. Nemo autem, quod ego sciam, prius dividit ens prout in actu existens et in ens prout essentiam importans, ut deinceps decem prædicamenta colligat tamquam membra entis participialiter sumpti. Denique illud apud omnes in confesso esse videtur, summa genera prædicamentorum et rationes prædicamentales spectare ad essentiam entium, quæ in prædicamentis constituuntur (1). At esse existentiae non est aliquid spectans ad essentiam ullius entis creati. Ergo non est desumendum ab esse existentiae principium prædicamentorum.

Dicendum itaque est, ens quatenus importans esse quod vocant *essentiae*, esse ens prædicamentale et principium prædicamentorum. Et ratio est, quia actus existentiae in sententia quidem eorum, qui distingui realiter illam ab essentia arbitrantur, est re vera, in alia vero sententia *concipitur* cum fundamento in re tamquam actus essentiae in certo gradu et specie constituta, ideoque actus existentiae supponit certum ac determinatum genus et speciem rei. Quamobrem esse actualis existentiae nec est, nec concipi potest, vel tamquam ratio propter quam res constituuntur in prædicamento, vel tamquam principium unde inchoatur diversitas prædicamentorum. Nec mihi objicias illam doctrinam Gandavensis: *Esse simpliciter et absolute non dicitur res aliqua, nisi ab eo, quod est ens existens in effectu in rerum natura... Tunc vero res dicitur esse, quando est in rerum natura existens in effectu* (2). Cui concordat hoc aliud Alberti magni testimonium: *Cum autem dicitur ens absolute, non intelligitur nisi ens actu existens. Et ideo non sequitur, si substantia est, ens est, quia esse ens accidit omni ei quod est, accidit enim omni ei, quod actu esse potest* (3).

Equidem nescio, quid ex hisce verbis extundi possit pro sententia, quam impugnamus. Mitto enim quod ens quoque possibile in aliquo vero sensu dici communiter soleat ens

(1) *Commune quod prædicatur de his que sunt in genere, prædicat quidditatem, cum genus et species prædicatur in eo quod quid est (nempe secundum essentiam)*, S. Thom., 1.<sup>o</sup> dist. 8, quaest. 4, art. 2.

(2) Apud Sanseverino, loc. cit., pag. cccxvi, Neapoli, 1802.

(3) Albert. M. *De Prædicabilibus*, tract. 3, cap. 3 apud Sanseverino ibi, p. cccxlix.

reale, et proinde in eodem ipso sensu in quo est ens reale, dividi possit in decem prædicamenta ex communi veterum Philosophorum doctrina, utpote qui cum exponunt, quo pacto ens prædicamentale debeat esse reale, solum expungunt ex hoc capite a prædicamentis entia rationis, qualia certe non sunt entia possible, et ne verbum quidem habent, quo significant se pro ente reali ens actu existens prout tale intelligere. Deinde concedo adversariis, propterea quod ens simpliciter et absolute prolatum non est nisi ens actu existens, ens prædicamentale debere dici in toto rigore solummodo ens, cui actu competit esse existentia. An exinde sequitur, quod ens actuale præcise secundum esse existentia sit principium prædicamentorum, non autem secundum esse essentia? Minime sane, nec id probatur ab adversariis, et contrarium nos et auctoritate et ratione probavimus. Nam in re actu existente et est essentia et est existentia; essentia vero rei existentis, etiamsi eam velis realiter distinctam ab existentia, ex sua propria entitate, et independenter ab actu existentia, est aliquid ab ente pure possibili diversum, atque adeo in sensu magis proprio reale, quod proinde capax est ut dividatur in entitatem substantia vel accidentis, quantitatis vel qualitatis etc.

Dices. Prædicamenta exprimentur ex Angelico (1) et cæteris Scholasticis diversum esse, ac diversitas illorum petitur ex diversitate esse, quod prædicari de subjecto potest. — Bene quidem. Sed cum ex ipso Angelico et communi Scholasticorum sententia duplex distinguatur esse, nimirum esse essentia et esse existentia, probandum tibi est, ut quidpiam evincas, esse illud, ex cuius diversitate diversitas habetur prædicamentorum, ex Angelici et Scholasticorum interpretatione esse esse existentia, non vero esse essentia.

Verum jam postrema conditio entis prædicamentalis explicanda est. Ens prædicamentale debet esse totum vel completum. Ens ergo completum est illud, quod est aut certe concipitur et significatur ut aliquid totum, non vero ut pars alterius, saltem in suo ordine et genere. Dico saltem in suo ordine et genere, propter accidentia: hæc enim absolute

(1) Vide v. g. lib. 5 *Metaphysicor.*, lect. 9.

Ens  
prædicamentale  
debet esse  
completum.

loquendo semper sunt incompleta entia, et nihilominus dantur quædam rationes accidentales, quæ in ordine entitatis accidentalis concipiuntur, non ut partes constitutivæ alterius, sed ut aliquid in se completum; et e converso alia dantur rationes accidentales, quæ non modo sunt, sed etiam concipiuntur ut partes ordinatæ ad constituendum aliud accidens. Sic enim quantitas, vel qualitas, vel color etc., concipiuntur ut unum quiddam completum in suo genere; at gradus intensionis in calore sunt, et concipiuntur, ut partes integrantes calorem, ac proinde non sunt ens completum. Ita ergo ex hac postrema conditione solum entia completa directe ponuntur in prædicamentis, at partes physicae compositi alicujus, v. g. materia et forma, seorsim ac per se non habent locum in prædicamento, sed tantum prout sunt in ipso composito: et idem dicendum de partibus metaphysicis, quæ adjective concipiuntur, nempe de differentiis specificis.

Aliquo tamen modo entitas omnis realis, etiam incompleta, spectat ad prædicamentum. Quod ut intelligas nota aliquid posse constitui in prædicamento directe, seu in linea recta arboris prædicamentalis, vel indirecte seu in linea transversa, vel reductive. Directe ponuntur ea, quæ per se et non ratione alterius spectant ad prædicamentum; indirecte ponuntur ea, quæ solum ratione alterius, ad cuius essentiam pertinent, sunt in prædicamento; cæteræ vero reales entitates, quæ adhuc supersint, reductive ponuntur in prædicamento, quia ordinem habent ad ea quæ ponuntur directe. Itaque entia omnia completa modo explicato ex communi Scholasticorum sententia ponuntur directe in prædicamento, nempe individuum et species et genera usque ad supremum, quæ de singulis individuis proprii prædicamenti prædicantur in quâ; differentia vero specificæ indirecte et in linea dumtaxat laterali collocantur in prædicamento. Tandem ea entia incompleta quæ vel sunt inchoationes vel complementa physica entium completorum, ad illorum entium prædicamentum *reducuntur*, quorum sunt vel inchoationes vel complementa.

Hisce præstitutis propositæ quæstioni respondebit sequens

Quotuplici  
modo res possit  
esse in præ-  
dicamento.

273. PROPOSITIO: Aristotelica divisio entis in decem prædicamenta cæteris omnibus anteponenda est.

Præfertur  
Aristotelica  
prædicamentorum  
divisio  
cæteris omnibus.

Prob. 1.<sup>o</sup> Auctoritate. Commendatur enim hæc divisio insigni nomine præclarorum in Philosophia hominum, quos infinita propemodum sapientium virorum multitudo per plura sæcula uno agmine secuta est. Quæ sola ratio, etiamsi nulla suppetere intrinseca argumenta, valere deberet ad omnem novitatum libidinem cœercendam, saltem donec aliquid satis solidum et idoneum ab aliis in medium produceretur. Nam ut exemplo utar P. Francisci Oviedo (1), «sicut non licet anni divisionem in menses duodecim pro lubitu invertere contra vetustissimum et communem usum eo prætextu, quod non incongrue dividi posset annus in breviores menses 24, aut in 6 longiores»; ita etiam non licet divisionem, quam adeo veneranda commendat antiquitatis auctoritas, deserere donec aut inepta ostendatur, aut deterior aliis divisionibus recentiorum auctorum.

Prob. 2.<sup>o</sup> Aristotelica divisio entis in decem prædicamenta satis idonea est, cæteræ vero hactenus concinnate omnes plus minus gravibus laborant vitis et incommotis. Ergo Aristotelica præferenda est.

Prob. antec. per partes a) *Aristotelica divisio idonea est.* Id patet ex dictis in præcedenti articulo. Nam in primis omne ens vel substantia est, vel accidens. Si substantia est spectat ad prædicamentum substantiæ sive directe, sive indirecte, sive reductive, prout sint completæ vel incompletæ substantiæ. Nam individua, species et genera substantiarum, continentur directe in arbore porphyriana; differentiæ autem specificæ indirecte, partes vero physiciæ, ut partes integrantes seorsim sumptæ ac materia et forma, unio etiam ipsarum (si quid reale distinctum ab utraque sit) et pariter ratio suppositi vel subsistentiæ (in illorum opinione, qui eam a natura re distinguunt) reductive pertinent ad prædicamentum substantiæ. Existentiæ etiam sive re sive ratione distinguatur ab essentia, ad idem genus revocatur, sub quo ipsa essentia continetur. Nec vero est præter hæc in entibus creatis ulla

(1) Apud Lossada, *Metaph.*, disp. 3, cap. 3, n. 55.

alia creata entitas substantialis. Si autem est accidens, continebitur in aliquo ex novem generibus summis, quæ primo diversa esse vidimus in præcedenti articulo et ita sufficienter enumerata, ut nulla realis ratio accidentalis excogitari possit, quin ad aliquod ex illis pertineat. Ergo Aristotelica rerum divisio idonea omnino dicenda est.

Dices 1.<sup>o</sup> In decem illis prædicamentis sunt utique quædam entitatum illarum, quas modos esse docent multi Philosophi, ut v. g. *Ubi*; at non continentur alii modi. Ergo vel isti non sunt reales, vel non sufficiens et adæquata est prædicta divisio.

Resp. Modorum duplex distingui potest genus. Alii enim pure pertinent ad ipsam constitutionem vel complementum alicujus naturæ, quales sunt v. g. unio substantialis. Et de his jam diximus pertinere reductive ad prædicamentum substantiæ. Quod si dentur etiam modi accidentales hujusmodi, qui ad complementum alterius accidentis vel ad exercendum effectum ejus formalem concurrant, dicendum erit similiter modos hujusmodi ad illud prædicamentum, cujus sunt complementa, reductive revocanda esse: hujusmodi esse potest v. g. actualis inherentiæ quantitatis in substantia. Alii vero sunt modi accidentales, qui non spectant ad complementum vel constitutionem alterius accidentis, sed per se peculiari aliquo modo afficiunt substantiam vel immediate vel medio alio accidente. Et hujusmodi modi peculiare prædicamentum constituunt, ut v. g. *Ubi*, *Situs*, vel certe in aliquo alio prædicamento directe continentur, ut v. g. figura in qualitate, cujus est species quædam. Itaque nullus etiam datur realis modus, qui non contineatur in recensita divisione entis in decem prædicamenta.

Dices 2.<sup>o</sup> Sed divisio ista prorsus arbitraria est et absque ullo fundamento objectivo.

Resp. Arbitrariam non esse vidimus in articulo præcedenti.

3) *Cæteræ divisionis hactenus concinnatæ gravibus laborant vitis.* Et primo quidem de viginti categoriis Pythagoricorum dicere necesse non est. Ut enim omittam nec tenebras nec quietem esse ens positivum ac reale, nec multitudinem unum per se, ideoque expungenda esse e numero prædicamentorum, sicut etiam expungendum est infinitum, saltem si eo

Reiciantur  
categoriæ  
Pythagoricorum.

nomine exprimat substantia infinita; *par* et *impar*, *quadratum* et *altera parte longius* non sunt diversa genera, sed sub genere quantitatis continentur. *Intellectus* et *opinio* et *lumen* revocari possunt ad qualitatem, saltem si opinio sumatur pro habitu. *Masculinum* et *femininum* sunt substantiae: *dextrum* et *sinistrum* relationem important: *rectum* et *curvum* sunt differentiae quantitatis. De *motu* jam superius diximus, non esse peculiare praedicamentum. *Unum* non est praedicamentum, sed attributum entis; idemque dicendum de *finito*, utpote quod non est nisi generalis conditio entis praedicamentalis. Itaque, ut omnia paucis summatim concludamus, in divisione pythagorica desiderantur varia praedicamenta, nempe *actio*, *passio*, *ubi*, *quando*, *situs*, *habitus*; quorundam aliorum non exprimit summum genus, sed genera media, nimirum *substantiae*, *quantitatis*, *qualitatis*, *relationis*; alia vero redundant scilicet *tenebrae*, *quies*, *finitum*, *infinitum*, *motus*, *unum*, *multitudo*.

Platoniorum,

Platonici omittunt *situm* et *habitus*, ac perperam addunt *motum* ac *figuram*; in caeteris consentiunt communi Peripateticorum Scholasticorumque doctrinae. Epicureorum vero categorias patet supremum entium genera esse non posse. Ex quo etiam apparet, quid dicendum sit de aliorum veterum opinionibus.

Epicureorum,  
aliorumque  
juniorum,

Categoriae a junioribus invecitae in multis peccant. «Primo quidem quia in illis mens ponitur loco supremi generis; mens autem, si accipiat ut est communis Deo, angelis et hominibus, genus esse non potest, alias Deus sub genere contineretur», quod alibi demonstrabimus esse non posse. «Si autem accipiat ut est communis angelis et hominibus, nec etiam genus esse potest; ita enim homo esset mens corpori unita, adeoque non esset vere compositus ex anima et corpore». Adde quod si mens sumatur generatim pro substantia spirituali, non est supremum genus, sicut nec materia seu corpus, sed utrumque est genus sub substantia contentum. «Secundo, quia in illis *mensura* ponitur ut supremum genus, cum tamen ratio mensurae sit attributum quantitatis. Tertio, quia ponitur *quies* ut genus supremum, quae tamen est mera privatio motus. Quarto quia neque *motus* neque *figura* possunt esse suprema genera; motus

quidem quia reducitur ad actionem vel passionem», vel ad praedicamentum termini, ad quem est motus; figura vero, quia est species qualitatis. Denique si *nexus* accipiat, ut illum juniores accipiunt, pro partium textura et ordine, nec etiam genus supremum esse potest; nam per ipsos corpora differunt ex diversa textura et ordine partium. Qui autem fieri potest, ut id in quo aliqua differunt, habeat rationem supremi generis? (1).

Kantii,  
Kantius tamquam bonus somniator miscet quadrata rotundis. Quid enim, quaeso, habet cum ente praedicamentali *negatio*, *limitatio*, *impossibilitas* et *non existentia*? *Unitas* non est nisi attributum entis, *pluralitas* etiam a praedicamentis arceatur, quia non exhibet ens unum per se: *totalitas* vero est una ex conditionibus entis praedicamentalis. *Accidens* etiam proprie non est praedicamentum, sed principium primum, ut ita dicam novem categoriarum. *Causa* et *effectus* nimis vage exprimunt res, quae in praedicamento esse possunt; *actio* autem mutua sub praedicamento actionis continetur. *Possibilitas* est conditio entis praedicamentalis subintellecta in illa alia conditione, secundum quam ens, quod in praedicamento constituitur, debet esse reale. *Existentia* revocatur ad praedicamentum propriae essentiae, cujus est actus. Denique *necessitas* et *contingentia* non sunt genera rerum, sed modi intrinseci penitus identificati cum naturis quarundam entitatum. Itaque ineptius et stultius loqui non potuit falsissimus ille Philosophiae reformator, potius dixerim, eversor.

Millii  
De Stuart Mill quid vis ut dicam, nisi quod ineptissime scripserit? Quatuor genera, quae recenset, non sunt suprema genera, sed sub aliis superioribus continentur. Praeterea omittit quasdam veras realitates, quas ut bonus Positivista voluntarie caecutiens videre et agnoscere non vult.

et Rosminianorum.  
Rosminianarum denique fictionum vanitas responsione non indiget post hactenus exposita. Itaque jam ad singulorum praedicamentorum accuratorem disputationem gradus faciendus est; quantitatem vero, utpote quae corporum proprietates est, in naturali Philosophia fusiis tractandam reservamus.

(1) Roselli, *Summ. philosoph.*, vol 1, quaest. 12, art. 1, n. 632.